



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 51. Principum Italiæ Legatio ad neoelectum pontificem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Ludovicus consultius fore existimabat, si non nisi unicam omnium Principum legationem, unumque Oratorem ceterorum nomine declamantem designaret, qui communi hoc omnium consensu pariter mutuam Principum unionem sanctitati suæ testificaretur, sique fors, ut sub Innocentio VIII. contigisse meminerat, Papa eos disjungere tentaret, is perspecta hac animorum conjunctione a proposito deterreretur. Placuit Ferdinando Ludovici consilium, eo potissimum nomine, quod hac via a procellis capiti suo ingruentibus tutum se fore speraret, Petrus quoque Medicæus primum generalem hancce legationem probare videbatur, quam tamen, ut præpediret, tractu temporis nil inausum, intentatumque reliquit.

Secul. XV.
A. C. 1493.

§. LI.

Principum Italiae Legatio ad neoelectum Pontificem.

Petrus ergo Legationis Florentinæ solus princeps erat, cumque divitiis potentissimus esset, occurrente publica solemnitate nihil ad summam auri, argenti que profusionem, luxumque ostentandum reliquit; quare veritus, ne suorum, si cum reliquis promiscue incederent, Oratorum splendor ingenti ceterorum
fre-

Sæcul. XV.
A.C. 1493.

frequentia obfuscaretur, Pontificis conspectum solus subire decrevit, præsertim cum Petri consilium ardentius etiam urgeret Scipio Gentilis Aretinus Episcopus, qui concinna oratione in laudes summi Pontificis excurrere meditabatur; hic enim cum se unum illo tempore inter Italos dicendi facultate longe celeberrimum crederet, nullatenus hunc honorem Sannazario cedere statuit, quem Ferdinandus nomine ceterorum verba facere iusserat. Nec hic stetit obfirmata Petri voluntas, sed Regem quoque Neapolitanum ad idem consilium permovit; Rex non solum Petro acquievit, sed etiam Ludovicum in suam sententiam trahere nitebatur, a quo tamen de violata fide postuiabatur. Neapolitanus aut exculationis obtentu, aut inconsiderantiæ vitio incautius Ludovico significabat, quod nunquam communis legationis consilium abjecisset, nisi ad id inductus fuisset a Petro Medicæo, cuius importunas preces ultra ferendo impar foret. Hujus confessione percepta Ludovicus, aliunde oppido suspiciosus, inter Neapolis Regem, & Petrum de Medicis foedus intercessisse conjiciebat, utque rem luculento magis indicio edoceret, nulli labori parcebat. Interea tamen quivis Principum summo Pontifici seorsim sua exsolvebat obsequia, eademque

demque ratione quælibet Respublica Pa-
 pam venerabatur: Inter omnes vero Pe-
 trus Medicæus magnificentiæ gloria e-
 minebat, atque Episcopus Aretinus suam
 orationem declamabat, tanta omnium
 admiratione, atque applausu, ut panegy-
 ris illa ceteris ejusmodi sermonibus præ-
 figeretur, ac prima omnium typis man-
 daretur.

§. LII.

*Papa a Ludovico Sfortia in Neapolis
 Regem concitatus.*

Non ignorabat Ludovicus, Papam æ-
 gre tulisse, quod ipse primus genera-
 lis Legationis consilium agitasset, nihi-
 lominus, cum res effectu suo caruisset,
 indignationem Pontificis haud sibi obfu-
 turam sperabat, quominus ad eum con-
 fugere, illiusque opem contra Neapolis
 Regem, atque Florentinos tuto implora-
 re posset; fiduciam Ludovico auxit Car-
 dinalis Ascanii patrociniū, qui apud
 summum Pontificem gratia & auctori-
 tate plurimum valebat. Ergo nil reli-
 quum erat, quam opportuna Papam al-
 loquendi occasio; sed & illa brevi præ-
 sto aderat captata ex venditione, quam
 fecerat Franciscus Cibo defuncti Ponti-
 ficis filius; hic enim quosdam Princi-
 patus, etiamsi Sedi Apostolicæ beneficia-
 rio